Quelle: https://manuscripta.at/?ID=30611
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift



qui semper inter sancta desideria mentium castarum pascitur. Pulchra es amica mea. suauis et decora fi vox christi ad ecclesiam
lia ierusalem. Sancta ecclesia suauis et decora sicut ierusalem dicitur. quia eius uite desiderium. uisioni iam pacis
interne assimilatur. Pulchritudo in lenitate morum. suauitas in mundicia cordis. decor in amo
re pacis. Terribilis ut castrorum acies ordinata. id est caritate unita et compacta. ut nullus hosti
locus per malum discordie apriatur. quia solummodo in unitate pacis. terribiles sunt hosti. Auerte oculos
tuos. id est oculos mentis a me. quia ipsi me auolare fecerunt. Noli querere intueri per cognationis
internae perfecte me cognoscere quod fieri non potest. quia quanto intenti me agnoscere queris. eo certius
me incomprehensibilem esse intelligis. non queras inuia primum. quod tibi in patria reseruatur. Capilli tui
~~tui~~ sicut grex caprarum et reliqua. In capillis populi. in dentibus doctores in gemellis fetibus precepta carita
tis intelliguntur. Sicut cortex mali punici. sic gene tue absque occultis tuis. Gene ecclesie spi
rituales sunt patres. qui uirtutibus mirabiles et moribus uenerabiles in christi cruce gloriari non erubescunt.
Et hec magna sunt ualde que uidentur in ea. sed multo maiora que non uidentur et in futurum reseruantur.
Sexaginta sunt regine. et octoginta concubine. et adolescentularum non est numerus. Regine sunt que
amore sponsi et celestis premii intuitu per predicationem ueritatis et fidei. et sacri baptismatis fontem
spiritualem eterno regi sobolem generant. Concubine que carnis solummodo commodi gratia. christum predicando uel
baptizando docent. et ideo iste octonarii numeri inperfectionem. ille uero senarii numeri perfectionem. sicut
et sexaginta fortes super cum decalogo seruant. Adolescentule sunt anime nuper in christo renate. quarum sig
ma propter multitudinem ciuium celestium transcendit. Vna est columba mea perfecta mea. sancta uidelicet ecclesia.
simplici corde. et spirituali intelligentia. me secuta perfecte mundum relinquens. Vna est matris sue e
lecta genitricis sue. id est celestis ierusalem. que est mater omnium nostrum. unde ad nos gratia sancti spiritus descendit.
per quem nascimur deo. Viderunt eam filie syon et beatissimam predicauerunt regine et concubine lau
dauerunt eam. Quas prius dixit adolescentulas. nunc filias nominat. Regine et concubine ecclesie sunt. quas super
que omnis catholicam laudant ecclesiam. Que est ista que progreditur quasi aurora consurgens. Progreditur ecclesia vox synagoge
quasi aurora. quia iam ueri luminis in ea oriens mundo post tenebras longe ignorantie monstratur.
Pulchra ut luna. quia sole iusticie illustrata. noctem mundi illuminat. Electa ut sol. quia iusti si
cut sol fulgebunt in regno patris sui. Terribilis ut castrorum acies ordinata. terribilis aereis po
testatibus in unitate caritatis fidei. spei. Descendi ad ortum nucum. ut uiderem poma conuallium. vox ecclesie
Ortus nucum est ecclesia presens. ubi mutuas conscientias alterutrum minime uidemus. sed fructus per temptationem te
sta corporis apparebit interne dulcedinis gustus. Poma conuallis fructus sunt humilitatis. Descen
dit sancta ecclesia ad ortum nucum. per doctores sanctos. ut uideret quantum proficiant ad bonos fructus. que adhuc
indigeant doctrine irrigatione. Et inspicerem si floruisset uinea. id est uirtutum studia. Et germinas
sent mala punica. id est si quis ad exemplum dominice passionis. preparati essent suum fundere sanguinem. Nesciui. vox synagoge
anima mea conturbauit me. propter quadrigas aminadab. Nesciui dona gratie spiritualis iterum esse sponsa. sed anima
mea conturbauit me propter introductionem noui testamenti. et euangelice quadrige. quia aminadab qui inter
pretatur populi mei spontaneus. id est christus per totum uehitur mundum. Cui ecclesia mox consolando respondet. Re
uertere reuertere sunamitis. reuertere reuertere. ut intueamur te. Noli turbata esse. sed reuertere ad agnitionem
tui redemptoris. qui tibi potius in prophetis et lege promissus est. et quadrisona uoce. per iiii euangelia ad penitenci
am uocat. ut puritate fidei. et operum perfectione. tuo adhereas saluatori. O sunamitis. id est captiua
iam uinculo infidelitatis. reuertere ad tuum redemptorem ut salueris. Quid uidebis in sunamite. nisi vox christi respondentis
choros castrorum. Tu doles synagogam obcecatam esse. Prope est tempus ut choros bellantium aduersus ecclesie et synagoge.
malignos spiritus. et pro uictoria laudantium dominum uidebis in ea. Quam pulchri sunt gressus tui
in calciamentis filia principis. Hunc laudes ab ipso sponso proferuntur. et primo operum constantia.